



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Dispv. L. An beati aliqua videant in verbo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

Idem profus intelligimus, cum dicimus aliqua in Deo, aut essentia Dei videri: atque in verbo diuino: non enim dicuntur aliqua in verbo videri, quia non videantur in Patre, & Spiritu sancto, sed quia, cum verbum procedat per intellectum, opera cognitionis per appropriationem ipsi tribuuntur: hinc opus iustificationis Spiritui sancto: cum vero inquitur, an in Deo aliqua videant Beati, intelligimus alia præter Deum, hoc est, creaturas secundum proprias ipsarum rationes, non quatenus in Deo dicuntur esse ipse Deus, nam lapis prout in Deo, dicitur habere vitam Dei, sic enim idem omnino est videre Deum, & creaturas in ipso, quia ratione Augustinus sapenimero loquitur, ut dicitur sequenti patebit.

His breuiter præmissis, in præfenti controuersia prima sententia examinanda, sit Durandus in 4. d. Durandus 49. q. 3. & in 3. dist. 14. q. 2. quæ, ut refert Capreolus in 4. d. 49. q. 6. art. 2. in principio fuit Gofredi quodlib. 6. q. 3. & secutus est Bafolus in quest. 4. prologi, art. 3. qui duo docent. Vnum est, non solum Christum, sed quoslibet etiam Beatos, ex vi visionis in verbo intueri omnium rerum, quæ fieri possunt, essentias. Alterum est, nihil futurum cognoscere in verbo, quatenus futurum est, quod ipsi appellant rem, quoad existentiam, sed futura, quæ vident peculiari reuelatione, ab ipsis cognosci. Probant vero vnica ratione, quæ probabilis admodum apparet, in hunc modum. Intellectus videns clare rem aliquam, eo ipso videt omnia, quæ in ea naturaliter repræsentantur, & apparent necessario: quæ vero libere repræsentantur ex vi illius visionis, videre non potest, nisi noua ei reuelatio fiat: omnia autem possibilia, quoad essentiam naturaliter repræsentantur in essentia diuina; futura vero quoad ipsorum existentiam solum libere: ergo ex vi illius visionis possibilia videntur, non futura, nisi peculiari eorum reuelatione. Sed in confirmatione huius rationis aliqua nobis probanda sunt.

Primum est, ea quæ naturaliter repræsentantur in re aliqua, ex vi visionis illius videri: id vero facile constat, nam si ea naturaliter repræsentantur, necessario etiam in ea apparent: quod vero necessario apparet, non potest non videri; ergo si in essentia diuina, omnia possibilia necessario repræsentantur, ex vi visionis, non poterunt non videri, præsertim cum aliunde nihil obstat; nam ex parte essentia diuina repræsentantis, nihil obesse potest, etiam in ea clare, & necessario reluceant, nec ex parte intellectus Beati. Si enim aliquid obstat, maxime, quod intellectus finitus nequit infinita videre; at multo minus repugnat, infinitas essentias possibiles creaturarum cognoscere, quarum qualibet secundum essentiam finita est, quam videre ipsam Dei naturam infinitam secundum esse; ergo cum Beatus præditus lumine gloriæ, videat essentiam Dei, nihil impedit, quo minus infinitas etiam rerum possibilem essentias in ipsa intueatur.

Secundum est, in essentia diuina possibiles rerum essentias necessario repræsentari. Id vero colligitur, tum quia Deus necessario, in seipso cognoscit omnes res possibiles, nec fuit in eius potestate eas non cognoscere, sicut neque facere potuit, eas non esse possibiles, ergo in sua essentia tanquam in verbo, & cognitione illarum, naturaliter repræsentantur.

Exordium.

Visio omnium
possibilium
in Deo, non
esse compre-
hensiuam,
S. Thomam.

4

quod diximus, inde sequeretur. Verum, ut disp. 53. ostendam, hoc argumentum tantum probat, omnia non posse ex vi visionis essentia in Deo videri; non tamen ostendit, de facto Beatos non intueri omnia possibilia, peculiari reuelatione: sicut aliqui etiam asserunt, & nos dicemus disp. seq. ea, quæ præter Deum Beatus cognoscit, hoc tantummodo ab ipso videri, quo sane modo si omnia possibilia Beatus cognosceret, Deum ipsum non comprehenderet: ut disp. citata videbimus.

Porro tamen si diceret aliquis, ex vi visionis omnia videri posse, nihilominus in doctrina S. Thomæ, & aliorum posset asserere, Deum non comprehendendi: quia ut S. Doctor asserit artic. 7. & cum ipso ceteri, qui hac vtuntur ratione. Ad hoc ut notitia sit comprehensio alicuius obiecti, necessarium est, esse tantæ perfectionis, & entitatis quantæ est res ipsa, quæ dicitur comprehendere, ergo ut Deus comprehenderetur, necessarium esset, visionem Dei esse infinitam secundum naturam: sicut est ipse Deus: quia oportet, notitiam Deo adæquari, ut ipsam comprehendatur non sequeretur visionem esse infinitam, si ea videretur essentia Dei, sicuti est, & ex vi illius cetera omnia, quoniam necesse non est, infinitam esse cognitionem, etiam si obiecta cognita sint infinita, ut dicemus infra disp. 50. Et licet eadem proportionem, necessario cresceret visio: tamen augmentum solum fieret in perfectione accidentaria; ita ut visio esset infinita secundum intentionem, non autem naturam suam, ex quo non sequeretur in doctrina S. Thomæ, quam retulimus, talem notitiam esse comprehensionem essentia diuinæ, ut enim esset comprehensio deberet esse infinita eodem modo, & tantæ perfectionis, quantæ est ipsa essentia diuina: essentia autem est infinita natura sua, & secundum esse, non accidentaria perfectione, aut intentione, ergo adhuc illa visio non esset comprehensio. Postremo non puto errorem esse manifestè damnatum, asserere Deum à Beatis aliquo modo comprehendendi: tamen si id falsum sit, ut disp. 52. videbimus, ergo non est de fide, ut putabant Thomistæ allegati, dicere, in verbo, aut essentia diuina, non cognosci omnia possibilia, etiam ex vi visionis. Mihi tamen satis persuasum habeo, non solum Beatos non videre omnia futura, ut prædictum est, sed neque omnia possibilia; tamen si de possibilibus non sit ita certum) frustra enim, & sine fundamento diceremus, innumeram rerum multitudinem, quam Deus nunquam faciet, Beatis reuelasse. Porro autem ea non cognosci à Beatis, ex vi visionis essentia Dei, sequenti disput. manifestum erit.

DISPUTATIO L.

An Beati aliqua videant in verbo?

Opinio Durandi, cap. 1.

Quid sentiat Henricus, cap. 2.

Sententia Thomistarum, cap. 3.

Ratione a priori ostenditur, ex vi visionis Dei nihil creaturam videri, cap. 4.

Ab absurdo probatur, ex vi visionis Dei nullam creaturam in ipso videri, cap. 5.

Nullam creaturam ex vi visionis Dei, sed peculiari reuelatione videri, verior sententia est, cap. 6.

Creaturas in Verbo diuersa cognitione, quam Deum ipsum videri, cap. 7.

Quæ species rerum Beati in Verbo videant, cap. 8.

Quæ futura Beati in Verbo videant, cap. 9.

Cur dicantur
videri in
verbo, quia
videntur in
Deo.

Ratio vtri-
usque.

Ratio confir-
matur primo.

Secundus.

sentantur. Tam etiam, quia cum Deus suapte natura, possit omnia illa facere, atque earum sit causa omnipotentia sua, superiori quadam ratione dicitur eas in se necessario continere.

Tertio.

Tertium est, res futuras non representari in Deo naturaliter, & necessario; quia sicut ab aeterno voluit, quædam suis temporibus producere, ita potuit, velle alia, & potuit velle nihil facere: ergo quæ facturus est libere, à Deo cognoscuntur, sicut libere futura sunt, ac proinde libere in ipso representantur, quæ vero libere in Deo representantur, non possunt ex vi visionis ipsius essentia diuinæ videri. Quoniam ex eo, quod ab aeterno essentia illa representat, nihil habet noui, quod alias non haberet, etiam si ea non representaret, alioquin esset in Deo, aliquid ab aeterno libere, quod posset non esse, & ita, aliquid esset libere Deus, quod posset non esse Deus: quod est absurdum. Omnia enim quæ in Deo existunt, Deus ipse sunt, ergo in Deo nihil est, ex quo Beatus ea, quæ libere in ipso representantur dicuntur, intueatur, & clare cognoscat.

Alijs rationibus confirmat Gottfredus hanc opinionem, quibus inferius nos probabimus nullam creaturam in Deo cognosci posse, aut enim nulla aut omnes videri debent.

*4
Refellitur
Dur. sententia*

Mihi tamen hæc sententia Durandi non probatur, nam præterquam quod verum non est, nec ab ipso Durando satis probatum, aliqua possibilia, nedum omnia, ex vi visionis essentia diuinæ à Beatis videri, vt contra alias opiniones inferius demonstrabimus; discrimen, quod ipse constituit, inter res possibiles & futuras, quatenus ad essentiam diuinam representantem referuntur, futile est, & inane: id quod contra Durandum nunc solum demonstrare contendam. Ergo omnium esse eandem rationem, vt eodem modo cognoscantur in Deo, vel non cognoscantur, sic ostendo.

*In Deo videtur
vi futura si
possibilia videntur.*

Primum tam possibilia, quam futura secundum proprias formales rationes, non sunt formaliter in Deo, ex hac igitur parte æqualia sunt. Deinde, aut possibilia cognoscuntur in Deo, ex vi visionis essentia illius, quia sunt in ipso, vt cognoscente, atque adeo sunt in eo, veluti in speculo: atqui non solum possibilia, hoc modo in Deo sunt, sed etiam futura, quatenus futura, nam vt futura à Deo cognoscuntur: ergo in ipso, non minus videri possunt, quam possibilia. Aut possibilia in Deo cognoscuntur, ex vi visionis ipsius Dei quia sunt in Deo veluti in causa, cognita autem causa cognoscitur effectus, ac proinde, cognita omnipotentia cognoscuntur, quæ ab ea fieri possunt; atqui futura etiam sunt in Deo veluti in causa, quæ operatur; est; ergo viso ipso Deo, qui operatur est, clare cognoscitur in ipso, id quod futurum est, si cognita omnipotentia cognoscitur statim id, quod à Deo fieri potest. Atque hæc ratio eo præsertim vim habet, quod Deus est causa rerum, ratione cognitionis, quam de ipsis habet: quare qui videt in Deo dictamen, quo iudicat bonum, rem aliquam facere, & voluntatem, quæ eam vult efficere, oprime potest, futura cognoscere, si possibilia eo modo quo diximus videantur.

*Discrimen
Dur. enervatur.*

Discrimen autem, quod Durandus inter possibilia, & futura constituit, quod hæc libere in Deo representantur, illa vero necessario, & naturaliter, nullius ponderis est. Hinc enim solum fit, vt quæ naturaliter representantur, non possint non in omnem euentu videri, quia nequeunt, non repræ-

sentari: quæ vero libere representantur, sicut possent non representari, possent quoque non videri: at vero si semel supposita representatione, res apparent, non possunt non videri. Veluti effigies in speculo non representatur naturaliter, & necessario, sed libere: sicut libere etiam ipsum speculum è regione ponitur: in quo species refranguntur: at vero posito semel ex nostra libertate obiecto è regione, & ita libere etiam effigies illius refracta, non potest oculus ad speculum applicatus, rem non videre: eodem igitur modo postquam res voluntate Dei futurae sunt, non possunt in essentia diuina veluti è regione positæ, non representari, etiam quatenus futura: ergo visa essentia diuina, hac quoque ratione non possunt non cognosci, præsertim quia semel futura representata in essentia diuina, non possunt iam non representari.

*Pro Durand.
respondetur.*

Respondet aliquis pro Durandi opinione, Deo solum aduenire respectum rationis, ex eo, quod futura in eius essentia representantur, aut cognoscuntur, & ex eo, quod ipse est ea in tempore producturus: quare non mirum, si visio essentia diuinæ, quæ ex se, à rebus futuris absoluta est, non faciat futura ipsa videri. Ego certe negare non possum, hoc modo optime argumento satisfieri, ne probet absolute, futura in essentia diuina videri, etiam si in ea representari dicantur, & ab ipsa cognosci, id quod c. 4. huius disp. clarius ostendam: nunc vero tantum contra Durandum contendendo, eandem esse rationem possibilibus, atque futurorum, quod si futura non cognoscuntur, vt ibidem concedemus, id ipsum de possibilibus dicendum est. Porro nullam esse differentiam constât, nam ita possibilia in essentia diuina representantur naturaliter, & ab ea necessario cognoscuntur, vt nulla sit in Deo relatio realis ad ipsa, sicut nec ad futura, vt disp. 1. c. 6. fusius probabitur: nihilominus cognosci dicuntur à Deo, & in essentia diuina representantur: ergo cum non minus futura cognosci dicantur, ab ipso Deo, & in eius essentia representari, etiam si non sit relatio realis ad ea ex vi visionis essentia diuinæ, non minus videri possunt, quam possibilia: aut si futura non possunt, neque possibilia poterunt cognosci: discrimen igitur à Durando assignatum inane est, atque ex dictis patet solutio argumentorum eius.

CAPVT II.

Quid sentiat Henricus.

Allegari solet Henricus pro sententia eorum, qui docent, nihil omnino creatum in essentia Dei, ex vi visionis illius à beatis videri. Ceterum suam sententiam aliter nobis tradidit, quod lib. 7. q. 4. & 5. vbi hæc tria docet. Primum est, essentiam diuinam visam à Beatis, quatenus ad se est, non prout idea creaturarum, non esse beatis rationem videndi quidquam creatum, nec futurum, nec possibile. Hoc probari potest, quoniam essentia diuina hac ratione nullam respicit creaturam, ergo visione sui, non potest ducere intellectum in cognitionem alicuius creaturæ.

Henricus.

*Prima pars
sententia.*

Secunda pars.

*Specierum
cogniti sacra
non indiuidua
monstrantur.*

sed

8 sed tantum specierum, indicat tamen Henricus. individua quoque eadem visione cum diuina essentia videri, non ex vi visionis eius, sed peculiari reuelatione, aut certe alia diuersa visione. Probat autem species rerum possibilem, ex vi visionis essentiae in Deo videri; quoniam essentia diuina, qua ratione est idea, habet habitudinem, & relationem ad creaturas; ergo ipsa visa potest in cognitionem deducere creaturatum.

Tertia pars.

Tertium est, posse Deum manifestare seipsum Beatis, vult ad se, sine vilo ordine ad creaturas, hoc est, manifestando essentiam, quatenus essentia est, non sub ratione ideae. Quocirca ait, posse videri Deum in se ipso, nulla prorsus visa creatura, ex vi talis visionis, sicut scientia, quae est qualitas quadam, cum relatione ad obiectum, videri potest, ut qualitas, non cognita relatione, tunc autem non est necesse videre, aut cognoscere obiectum. Probat autem hoc ex duplici capite, primum, ex limitatione intellectus reali, qui natus est cognoscere vnum sine alio: deinde ex eo quod Deus est speculum voluntarium, ac proinde potest seipsum manifestare Beatis vno modo, & non alio.

9 Ex his colligit Christum non vidisse in verbo omnia possibile, idemque de alijs Beatis dicere debet: sed id nulla ratione probat: inde autem suaderi potest, quia Deus comprehenderetur, si cognosceretur in eo omnis ratio ideae, & ex vilis omnis natura specifica possibilis, quod est absurdum. Quare cogitur dicere Henricus, non posse omnem rationem ideae, quae est in Deo, Beatis communicari, sed aliquid ipsius Dei, necessarium eos latere.

Henricus.

Secunda pars
sententia
impugnatur.

Omissa vero prima parte huius sententiae in qua cum Henrico confertur, & cap. 4. contra aliquos discipulos B. Thom. confirmabo. Id quod secundo & tertio loco docet, nulla ratione mihi probatur: id vero quod secundo asserit hac ratione impugno: aut respectus, & relatio essentiae diuinae, quatenus idea est creaturarum, est realis, aut rationalis.

Realis esse non potest, ut infra disp. 104. cap. 6. ostendimus: quod si in Deo esset talis relatio, non solum esset ratio cognoscendi, & videndi naturas specificas in vniuersum, sed etiam individua, & singularia ipsarum sigillatim: tum quia intellectus videns rem quidditatiuam, & proprio conceptu, non distinguit rationem genericam, & specificam, ut disp. 118. c. 7. probabimus; hoc enim ex imperfectione provenit cognitionis: tum etiam, quoniam essentia diuina, non tantum est idea specierum sed etiam cuiuscumque individui sigillatim ut disput. 74. cap. 2. dicemus. Imo cum idea Dei sit eius cognitio, & ipse non distinguit in rebus rationem genericam ab specifica, ut ibidem monstrabimus; ideae potius erunt singularium, quam naturae specificae in vniuersum: saltem negari nequit, singularia omnia, quae fieri possunt, optime à Deo cognosci ea ratione, qua fieri possunt: hac igitur ratione ad ipsa sigillatim idea diuina terminabitur: ergo siue sit vna communis idea totius speciei, siue singulis individuis suam assignemus: qua ratione per ideam naturae specificae cognoscitur; eadem quoque, & individua videri necesse est: quia vnicam illam ideam ad singula individua terminari, & referri oportet.

Aut relatio, quam habet diuina idea ad creaturam, quae in 1. part. Tomus I.

ras, est rationis, & solum nostro modo intelligendi Deo conuenit, ut reuera dicendum est: & hoc pacto non potest esse ratio clare videndi creaturas in ipso Deo. Sic enim Deus in se re ipsa erit quid omnino absolutum à creaturis, & tamdiu ei respectus rationis conueniet quamdiu sub conceptu relatiuo concipietur, & nomine etiam relatiuo appellabitur: quae duo solum per intellectum viatorum Deo tribuuntur: eo quod viatores non vident ipsum, sicuti est, sed instar aliarum rerum relate ipsum concipiunt. At Beati, qui Deum clare vident, & eodem prorsus modo suo intellectui praesentem habent, atque ipse reuera est, non possunt in ipso respectum rationis concipere ad creaturas; nec tale quid visione Dei clare in ipso confingere: quinimo, etiam si talem relationem, sicut viatores in Deo conciperent; sufficiens non esset, ut inde creaturas omnes, vel aliquas, ad quas terminatur, clare viderent: nam respectus rationis, quem in aliquo obiecto apprehendimus circa aliquid aliud, etiam si causa sit cognoscendi illud, ad quod terminatur, non tamen sufficit, ut clare videatur.

Ex dictis sequitur, falsum esse id, quod tertio loco docuit Henricus, nempe visionem Dei communicari posse Beatis duobus modis; primum ut est in se absoluta, deinde quatenus sub ratione ideae ad creaturas refertur: hoc igitur falsum est, quoniam si essentia diuina clare videtur, sicuti est, necesse est vno tantum modo intellectui videnti representari: vel enim respectus ille ideae est realis, vel rationis: si realis, cum necessario sit idem cum ipsa essentia sicut quauis relatio personalis, non poterit essentia sine illo videri, sicut disputatione 48. de essentia diuina, & relationibus personalibus probatum manet. Si vero est respectus rationis, semper cognoscetur essentia à Beatis absolute: nam relatio rationis solum ei provenit ab intellectu viatorum, ut praedictum est: quare non potest utroque modo, videlicet relate ad creaturas, & absolute videri; sed vno tantum nempe absolute, & ad se.

Fundamenta vero Henrici facili negotio conuelli possunt: primum quomodo essentia Dei, etiam quatenus idea est, non possit esse ratio cognoscendi, aut videndi creaturas, iam satis ostensum est. Deinde quo pacto non possit essentia diuina & absolute, & relate à nobis videri, ex dictis aperte colligitur, nam quamuis intellectus noster, quando res ipsas proprio & quidditatiuo conceptu non intelligit, possit vnum sine alio cognoscere; tamen quando intuetur rem, sicuti est, non potest non in ipsa videre totum, quot ab ea ex natura rei non distinguitur: quare si est in ea respectus aliquid ad creaturas, non potest non simul cum ipsa eadem visione cognosci: si vero non est, non potest duplici illo modo essentia videri. Postremo cum deus dicitur speculum voluntarium, non est ita accipiendum, ut eorum quae in ipso sunt, vnum sine alio manifestari possit, sicut nec vnum sine alio potest videri: idem enim est Deum manifestari intellectui, atque ab eo videri. Sed dicitur speculum voluntarium, quia ex rebus creatis potest, ut voluerit, hanc, aut aliam manifeste ostendere & reuelare, an vero in se ipso eas reuelare possit, inferius dicitur.

Respectus rationis ad creaturas, non manifestat eas Beatis in verbo.

II

Tertia pars
sententia
reijciuntur.

12

Henrici fundamenta
soluuntur.Deus cur dicitur
speculum voluntarium.

Y

CA.

13

Tertia sententia est afferentium ex vi visionis, qua Dei essentia videtur, aliquas quoque creaturas videri, & eo plures, quo perfectius quis Dei essentiam intuetur: nunquam tamen hoc pacto omnia possibili in essentia diuina videri posse. Hanc opinionem amplectitur Caiet. art. 8. & seq. & ceteri recentiores Thomistæ in hunc art. 8. Capreol. in 4. d. 49. q. 6. art. 1. & 3. Sotus q. 3. art. 3. Ferrar. 3. contra gent. cap. 56. & 59. & 60. & supponere videtur Richard. in 3. d. 14. art. 2. q. 3. & in 4. d. 49. art. 3. q. 3. tamen si non ita clare loquatur, sicut neque Ferrar. & quamvis videatur S. Th. id plane docere in art. 8. ex alijs tamen locis, ut cap. seq. dicemus, oppositum asseruisse non obscure colligitur. Hanc sententiam primum Thomistæ probant ex illo 13.

Caietanus.
Capreolus.
Ferrar.
Richardus.

S. Thomas.

1. Cor. 13.

Patrum testimonio

Thomistarum.

Primum argumentum

Augustini.

Deinde testimonijs Patrum roborare contendunt. Primo, sunt quam plura Augustini testimonia, quibus eam expressisse videtur lib. 4. de Genes. ad litteram cap. 23. ubi ait: Multum quippe interest inter cognitionem rei cuiuscunque in verbo Dei, & cognitionem in natura eius, ut illud merito ad diem pertineat, hoc ad vespere. Idem tradit lib. 6. q. 26. Plura ad hoc ipsum ex Augusti proferri possunt testimonia, sed ea prætermitto, quod sequenti disp. de mente illius fufius disputandum sit.

Gregorius.

Secundo adducitur vulgare illud Gregorij dictum 4. dialog. c. 33. in fine, ubi ostendens quomodo Beati cognoscant in alia vita, non solum, quos in hac vita nouerant, sed quoscunque alios bonos, inquit: Quia illic omnes communi claritate deum conspiciunt, quid est quod ibi nesciant ubi scientem omnia sciunt, Eadem verba habentur de Angelis beatis libro 2. mora, cap. 2.

14

Tertium Bernardi.

Tertium testimonium est Bern. lib. 5. de consideratione ad Eugenium in principio, ubi explicans illud ad Rom. 1. Inuisibilia Dei, &c. Sic ait. Sane hac scala (scilicet creaturarum) ciues non egent, sed exules: quod vidit huius scientie auctor, qui cum diceret inuisibilia per visibilia concipi, signanter posuit a creatura mundi. Et vere quid opus scalis teneri iam solum creatura celi illa est praeceptum habens per quod potius ista intueatur, videt verbum, & in verbo facta per verbum: nec opus habet, ex ijs, quae facta sunt, factoris notitiam mendicare. Neque enim ut vel ipsa noverit, ad ipsa descendit, quae ibi illa videt, ubi longe melius sunt, quam in se ipsis: Hactenus Bern. qui videtur perspicue, & discrete hanc sententiam docere.

Quarto Concil. Senonen.

Quarto Concil. Senonen. in decretis fidei, ut damnet errorem eorum, qui dicunt Sanctos non esse orandos, subdit hæc verba: Sed quam sit hoc non modo veritati, sed scripturæ quoque consonum, facile intelliget, qui Beatus peruium esse, non ignorat, omni forme illud diuinitatis speculum, in quo quicquid eorum inter sit, illustratur. Ergo sentit orationes, quas ad eos fundimus, quia eorum interfunt, in diuinitate, veluti speculo ab eis videri.

15

Ratione confirmatur.

Postremo ratione probatur, quoniam si cognita causa ex illa effectus cognoscitur, cognito Deo, creaturæ etiam ex illo cognosci poterunt: & acut quo perfectius causa cognoscitur, eo plures effectus illius videntur; si autem penitus intelligatur, & comprehendatur, necesse est omnes effectus

cognosci, & videri: ita quo clarius Beati vident essentiam Dei, quæ est omnium creaturarum causa, & quo melius eius omnipotentiam penetrant, eo plures etiam creaturas in ipsa cognoscunt.

Hæc vero ratio non solum probat creaturas eadem visione cum Deo videri, sicut Angeli vnica specie & cognitione plura simul cognoscere possunt: verum etiam in ipso Deo, tanquam in causa, ex vi visionis, qua ipse Deus videtur, cognosci. Fieri namque non potest, ut Deum quis videat, quia in ipso intueatur rationem omnipotentiam: hæc autem cognosci non potest, neque clare videri, nisi ea, quæ ab ipsa fieri possunt, cognoscantur: cumque nulla in hoc repugnantia assignari possit, propter Patrum, & Scholasticorum doctrinam, hæc sententia ceteris præferenda videtur.

Porro ideo docent, non posse hoc modo omnes creaturas in Deo cognosci, quia alioquin essentia Dei non tantum clare videretur, sed comprehenderetur etiam à Beatis, quod recentiores putant esse contra fidem.

16

Deinde docent recentiores aliqui, qui hanc tertiam sequuntur opinionem, posse Deum clare videri, ita ut ex vi visionis Dei nulla creatura videatur: in nullo vero ex antiquis Scholasticis hoc inuenire potui, præter Henricum, qui suo modo ut cap. præced. vidimus, id docet. Probant vero, primum testimonio Augusti 5. confessionum cap. 4. ubi ait: Beatus est, qui te scit, etiam si alia nesciat. Deinde hac ratione: fieri potest ut aliqua cognitio feratur in obiectum primum nec transeat in secundarium, essentia autem diuina est primum, creaturæ vero secundarium: ergo potest esse aliqua visio essentiae, quæ non respiciat creaturas.

Deum posse videri, nulla visio creaturæ putant recentiores. Henric. Augustinus. Ratione confirmant.

CAPVT IV.

Ratione à priori ostenditur, ex vi visionis Dei nihil creaturam videri.

Hæc sententia, quam proxime retulimus, inter alias hactenus connumeratas præcipua est, quam in hoc capite, & sequenti ex professo impugnare decreui: quod illius confutatione veterior sententia huic omnino contraria, quam postea sequemur, confirmanda sit.

17

Hæc vero quatuor rationibus confutari potest quarum primam in hoc capite, alias vero tres in sequenti proferemus. Sed in primis contra eam animaduertendum est illud, quod recentiores Thomistæ secundo loco dicebant, cum priori parte suæ opinionis manifeste pugnare. Nam si Deus visus sicut ipse est, ex eo quod est causa rerum, ducit videntem in earum cognitionem; nulla poterit esse tam exigua visio Deitatis, quæ si clara est, & quiditativa, non faciat aliquam creaturam in ipsa videri. Si enim ex eo, quod aliqua causa cognoscitur, etiam si quiditativa, & proprio conceptu non videatur, aliquis eius effectus solet ex ea deduci, ut experimento constat, multo magis ex clara, & quiditativa, & propria visione causæ, quantumvis remissa, aliquis effectus videbitur: atqui visio essentiae diuinæ est clara, quiditativa, & propria: ergo ex illa aliquis effectus creatus necessario cognoscitur, si essentia diuina ex se visa, tanquam causa creaturarum, in earum cognitionem deducit.

Posterior pars illius sententiae à priori iustificatur.

Henricus

Henricus

Henricus quidem, cum concedit posse essentiam videri ita, ut nulla creatura ex vi talis visionis videatur, id non docet de remissa solum, & exigua visione, sed de quavis etiam perfectissima, qua essentia divina solum videatur, ut est absoluta, & ad se: putat enim hac visione nullam unquam creaturam videri posse, ac si essentia appareat sub relatione ideæ, censet ita ex illius creaturam cognosci, ut non possit non aliqua videri,

18
Essentia divina sub eadem ratione visa, etiam manifestat creaturas.

atque hinc sane discernendum est, verum ex vi visionis essentia aliqua creatura videatur, an non. Si enim semel concedamus, essentia taliter visa, hoc est sub tali ratione, nempe absoluta, ex vi illius creaturam aliquam non videri; non solum id dicendum est de remissa, & exigua visione, sed de maxima etiam, & perfectissima, dum tamen obiectum, nempe essentia divina, sub eadem ratione semper videatur, si vero sub ratione relationis ideæ appareat, ut ita possit iuxta eorum doctrinam aliqua creatura videri, fiet, ut nulla possit esse visio, quantumvis remissa, qua aliqua creatura non videatur; dummodo ipsa essentia divina ex parte sui eodem modo, hoc est, sub relationis ratione, semper appareat, sic enim Doctores citari deberent philosophari, ut convenienter suis principiis docerent.

Augustinus exponitur.

Quæ vero ad hoc secundum probandum afferbant, nullius momenti sunt, primum quidem testimonium Augustini nihil ad rem attinet: tum, quia ipse non loquitur de beatitudine alterius vitæ quæ est in clara Dei visione, sed huius vitæ præsentis. Et inquit hanc esse nostram beatitudinem, nosse Deum, ut ipsum amemus, etiam si nihil aliud præter Deum sciamus: intelligit vero nihil aliud, quod ad ipsius amorem, & cultum non pertineat. Tum etiam quia si de beatitudine alterius vitæ loqueretur, non proinde prædicta sententia faueret: solum enim significaret, inde nos esse Beatos, quia Deum videmus, etiam si nihil aliud videremus, id quod in omni opinione ingentis fatendum est.

19
Nam primum obiectum visio videtur secundarium.

Deinde ad rationem respondeo, eos, qui videntem, sicuti est, notitia (ut aiunt) intuitiva non posse non videre primum obiectum, & secundarium simul, si primum taliter visum, ducit in cognitionem secundarium: nisi ipsum primum obiectum ex parte sua aliter appareat: hoc dixerim, quia, ut supra notavi, parum obest exiguitas, & remissio visionis, si res visa sub eadem ratione videtur, quo minus per talem visionem secundarium obiectum videatur. Aliter tamen dicendum est de cognitione per alienas species, quæ non est quidditativa, hæc enim contingit cognosci primum obiectum, non cognito secundario; quando primum imperfecte cognoscitur,

Primum autem argumentum contra sententiam Thomæ, etiam divina essentia absolute est ab omni respectu rebus ad creaturam.

Iam vero rationibus propriis contra eam sententiam pugnemus; prima ratio à priori, quam contra Henricum cap. 2. tetigimus, est huiusmodi essentia divina in se ipsa est ab omni re creata absoluta, nec ad aliquam refertur relatione ex natura rei: nequit igitur esse medium, quo aliqua creatura cognoscatur, nedum, ut in ipsa clare videatur. Si enim esset medium cognoscendi aliquam, aut esset, quia creaturæ sunt in ipsa essentia divina formaliter, & viso aliquo, videntur ea, quæ formaliter in eo sunt: aut quia sunt in ea virtute solum, & efficacitate, tanquam in causa: vel certe

Valquez in 1. part. Tomus I.

tanquam in cognoscente, sed nullo ex his modis aliqua creatura in Deo videri potest; ergo essentia Dei clare visa non ducit videntem in alicuius creaturæ claram notitiam: de singulis autem modis id, quod diximus, inductione patebit.

De primo quidem, quoniam nulla creatura est in Deo formaliter secundum propriam ipsius naturam, & rationem, quare inanimata ita dicuntur in Deo esse, ut dicantur etiam in ipso vitam habere, ut sequenti disputatione ex mente Augusti ostendemus: nihil enim est aliud creatura in Deo primo modo, quam ipse Deus: nunc autem agimus de cognitione creaturarum secundum proprias rationes creatas, quatenus sunt aliquid distinctum ab ipso Deo, qua ratione non sunt formaliter in Deo.

20
Deus nequit esse medium videntis creaturam. August.

De secundo, & tertio idem probatur: nam quantumvis res dicantur esse in Deo, tanquam in causa, (quod Scholastici dicunt esse eminenter) atque sint in ipso media cognitione simplicis intelligentiæ, quæ veluti arte, & principio potest eas producere non satis est, ut videns Deum clarescitur est, creaturam aliquo modo in ipso cognoscat: nedum clare intueatur. Idem quæ sentio de modo, quo creaturæ dicuntur esse in Deo per scientiam visionis, quæ non est earum causa, sed ordine quodam ipsis posterior est; ut disp. 68. c. 7. dicemus.

Nec per suam omnipotentiam.

Quoniam utroque modo essentia divina, quæ se ipsa est creaturarum cognitio siue possibilem, siue futuram, revera absoluta est, & ad se ipsam: ergo ipsa visa non potest nos ferre in cognitionem eorum, ad quæ non refertur, ut contra Henricum cap. 2. fufius probatum manet.

21

Neque vero satis est, si dicamus essentiam divinam respectu saltem rationis ad creaturas referri, quatenus idea, vel cognitio ipsarum est, & ipsa visa possit esse ratio videndi creaturam aliquam; sicut contra eundem Henricum ibidem demonstratum est: ostendimus enim nullam relationem rationis, quæ intellectu tantum viatoris Deo tribuitur, posse esse causam intellectui clare videndi Deum, ut viso Deo, aliquam creaturam in illo intueatur.

Neque per scientiam visionis.

Cæterum de scientia visionis, quæ dicitur à Patribus futurorum præscientia, & de relatione rationis, quæ ipsa ad futura refertur, & à scientia simplicis intelligentiæ distinguitur, id multo clarius monstrari potest: ita enim intelligimus hanc scientiam, aut præscientiam, ab æterno Deo continere relatione ad futura, ut si nullum esset futurum, talis scientia in Deo non esset: ex hoc tamen nihil Deo desisset, nec eius essentia alio modo esset, quam nunc est, ut testatur Hugo de sancto Victore lib. 1. de Sacramentis p. 2. cap. 16. & ratio ipsa palam ostendit: quando omnia, quæ sunt in Deo, necessario sunt Deus ipse: id quod fufius explicabitur disput. 80. cap. 1. & 2. ergo supponamus essentiam divinam clare videri, quando nihil esset futurum, nec ipsa aliquid tale præciter: tunc sane non alio modo intellectui clare intuitu appareret, quam nunc apparet: neque nunc aliter videtur, quam tunc videretur; supponamus etiam eundem gradum visionis, quoad intensiorem tunc, atque nunc esse; ex his necessario efficitur, si tunc essentia Dei visa non esset ratio videndi futurum aliquod; hunc etiam non esse; nam eadem res eodem modo visa, & ex parte sui

Hugo de sancto Victore.

22
Ex vi visionis divina essentia non videri futuram.

& ex parte intellectus videntis, si semel est ratio videndi aliud, semper erit: & si semel non est, nunquam erit: idem enim quatenus idem est, semper est natum facere idem, ergo habemus saltem essentiam diuinam clare visam, non esse rationem videndi futura.

Idem de rebus possibilibus monstratur.
Simile Argumentum fieri potest de scientia simplicis intelligentiæ rerum possibilem: ita enim comparantur cum Deo res omnes possibles vt si nihil esset possibile, Deus nihilominus esset, vt disputatione 104. cap. 6. latius ostendimus: quare si homo non esset possibilis, nec alia creatura præter Angelum, tunc eodem modo Deus ab Angelo videretur in se ipso, atque modo videtur: tunc autem non esset ratio cognoscendi aliquid aliud possibile, ergo nec modo; vt de futuris manet probatum.

Idem de libero decreto diuina voluntatis.
Ex dictis inferitur, quæ ratione Beati visione clara essentia diuinæ non possunt intueri decretum voluntatis ipsius, quæ aliquid producere decreuit: quoniam cum huiusmodi decretum liberum sit, & ita libere Deo conueniat, quanquam ab æterno, vt ab æterno quoque posset in Deo non esse, non potest esse ratio aliqua, aut relatio re ipsa, vel actus elicitus ab essentia, neque quidquam aliud, quam respectus rationis ad futura, vt disput. 80. etiam dicemus: quare ipsa essentia quatenus cum rebus futuris comparatur, nomine relatiuo dicitur a nobis voluntas libera. Cum igitur non aliter appareret videndi ipsam, si nihil aliud esset futurum, quam nunc apparet, consequitur, nunc in ipsa nullum decretum videri: sed nudam essentiam, & nihil aliud esse, videre decretum Dei, quam eius essentiam, & futura cognoscere, quæ ipse decreuisse dicitur.

Possibilia aut futura non cognoscuntur per respectum rationis Dei ad ipsa.
Denique propter respectum rationis essentia diuinæ ad possibilia, aut futura, nec possibile, nec futurum cognosci potest ex eo, quod Deus videatur sub illo respectu. Nam præterquam quod respectus ille non apprehenditur à Beatis, vt superius diximus, etiam si apprehenderetur, non sufficeret: quia cum ille conueniat essentia, ex eo quod res sint aut possibiles, aut future, prius debet intelligi futura res, aut possibilis, quam essentia Dei sub illo respectu; quare potius res ipsæ sunt causa cognoscendi sic essentiam diuinam, quam contra: aut saltem idem est cognoscere rem futuram, & essentiam Dei sub illo respectu. Ergo habemus ex dictis, ex vitalis visionis, quæ Deus videtur, quantumvis ea perfecta, & intensa sit, non videri prius aliquid in Deo, neque scientiam neque decretum, virtute cuius, quidquam vel possibile, vel futurum cognoscatur.

Obiectio.
At occurrer aliquis in hunc modum. Essentia diuinæ est Deo ratio videndi possibilia, & futura, cum tamen solum habeat respectum rationis ad illa: ergo potest Beatis esse ratio videndi & possibilia, & futura: ac proinde Beato videndi ipsam sicuti est, eodem modo ad videndum alia feruire potest. Respondeo, diuersam esse rationem: essentia enim Dei est ipsi ratio videndi creaturas possibiles, aut futuras: non quia obiectum sibi primarie cognitum est & ex vitalis cognitionis eas videat; vt disput. 60. cap. 2. & 3. latius dicemus: sed quia simul est earum omnium cognitio, quas per modum speciei expressæ habet præsentis, at vero Beatis non potest esse essentia diuinæ pro cognitione, & visione rerum creaturarum, sicut est ipsi Deo, sed tantum

pro obiecto cognito: vt autem dicebamus disput. 38. cap. 4. visio intuitiua de aliqua re haberi non potest per aliam prius visam quæ sit omnino diuersa & non contineat omnem rationem illius. Cum igitur Deus omnino diuersus sit à creaturis, non potest prius visus esse causa, vt illæ videantur.

Nec solum essentia diuinæ nequit esse causa Beato clare intuenti creaturas; sed neque cognoscendi eas aliquo modo, quoniam Deus in se omnino absoluta res est, nec aliqua relatione secundum se ad creaturas refertur: quare nulla earum cognitio ex Deo viso inferri potest. Et multo melius visio speciei, aut visione alicuius obiecti in mente, & intellectu Angelis, aut hominis, potest ex illa obiectum cognosci licet non videri, vt eodem cap. 4. probatum est quoniam hæc saltem refertur realiter ad obiectum, ratione cuius potest esse via ad cognitionem illius: licet non ad claram visionem.

Atque hinc solum manet argumentum quod pro superiori sententia adduximus: nam quamvis cognitio causæ creatæ ducat nos in cognitionem effectus, sicut etiam contra; hoc tamen primum non contingit fieri cognitione intuitiua: hæc enim non potest fieri medio aliquo prius viso, vt disput. 38. cap. 4. dictum est. Deinde causa creatæ habet ordinem realem ad suum effectum, quare non mirum si ex noticia intuitiua talis causæ clare etiam videatur effectus: at essentia diuinæ est res omnino absoluta, etiam si à nobis sub conceptu relationis omnipotentia nominetur: ergo prout in se visa, non potest esse ratio videndi aliquem effectum ipsius.

CAPVT V.

Ab absurdo probatur, ex vi visionis Dei nullam creaturam in ipso videri.

26
Iam satis exposuimus causam à priori, ob quam qui Dei essentiam intuetur, ex vi talis visionis nihil creatum possibile, aut futurum in ipso videat. Nunc vero non minus facile, & efficaciter à posteriori, & absurdo idem probare possumus: tres autem rationes potissimum mihi occurrunt, quas in hoc capite sigillatim proponam.

Prima ratio. si aliquæ creaturæ ex vitalis visionis viderentur, ceteræ omnes possibiles, & future viderentur, cum non sit maior ratio, cur vna videatur, quam alia; sed nullus concedit ex vi visionis Dei omnes creaturas videri, alioquin iam Deus comprehendi diceretur ab intellectu creato ergo nulla videri potest. Hac ratione vtitur Paludanus contra præcedentem sententiam, quam ipse secundo loco refert in 4. d. 49. q. 2. art. 1. Porro autem non est maiorem rationem vnius, quam alterius creaturæ, vt in essentia diuinæ videatur, inductione patet.

Palud.
Primum ex parte essentia diuinæ, in qua dicuntur esse, aut representari, vt videantur, & quæ videtur esse ratio. Omnes enim æque sunt, tanquam in cognoscente, eo quod non vnā per aliam sed vnāquamque proximè, & per se cognoscatur; omnes etiam tanquam in causâ æquales sunt, aut quia Deus est causa rerum per intellectum & voluntatem; & hoc modo tanquam in causâ in ipso esse dicuntur, vt tradit sanctus Doctor infra q. 19. art. 4. aut quia per essentiam suam proximè operatur, & exequitur vt alij putant, & utroque modo omnes æqualiter in Deo continentur; quia

nec

nec vnam per aliam cognoscit, nec vnam per aliam efficit: non est igitur maior ratio ex parte essentiae diuinæ, ob quam vna videtur, quam alia.

Deinde neque ex parte luminis gloriæ, quam enim lumen aliquod est principium visionis minus intensæ, aliud vero intensioris: omnia tamen lumina sunt eiusdem naturæ, & solum intra eandem speciem, secundum magis & minus differre possunt: intensio vero & remissio intra eandem speciem ex parte principij non potest esse causa videndi hoc obiectum, potius quam illud: sed perfectius, aut minus perfecte idemmet obiectum.

Quidam, qui præcedentem sententiam defendunt respondent differentiam provenire non ex intensione, & remissione, sed ex varietate individuationis ipsorum luminum, ratione cuius varietatis vnum lumen potius hoc obiectum, quam illud manifestat. Sed hoc commentitium est, nam præter gradum intensioris, non videtur, quæ possit esse varietas in lumine, ex qua proveniat, ut hunc potius effectum faciat, quam alium; sicut nec in calore, & alijs formis, quæ intenduntur, & remittuntur: aut certe gratis & sine fundamento illud asseritur: id quod ex sequentibus magis perspicuum fiet.

Alij præterea respondent, vnam creaturam videri, & non aliam, provenire ex varietate visionis intra eandem speciem, secundum quod vna visio perfectior est, alia minus perfecta: hoc enim sufficiens est, ut vnus effectus videatur vna causa perfecte, vna autem causa minus perfecte, idem effectus non videatur: sicut in hac vita nobis contingit: ex eo enim quod eadem specie, & intellectu eandem causam melius cognoscimus, ex illa aliquem effectum colligimus, quem cum minus perfecte causam cognoscebamus, non poteramus cognoscere.

Verum hoc effugium facile potest præcludi: nam si contingit in via ex perfectiori cognitione causæ plures effectus cognoscere, quam ex minus perfecta, non ex sola intensione provenit, sed ex eo, quod causa alio modo nobis apparet, sed ex eo, quod apparet, sub nouo scilicet ordine, & relatione: denique aliquid in ipsa cognoscitur, quod antea latebat, vel quia comparatione aliarum rerum, vel quia experientia vel alio modo intellectus inuatur. Si tamen eodem modo nobis obijceretur, & ex parte sua nulla esset omnino varietas, non ideo plures effectus ex illa cognosceremus quia intensior eius esset cognitio: intensio enim cognitionis non facit eam nouo modo intelligi: quare nec efficeret nouum effectum ex illa deduci: sed facit, ut attentius ipsam consideremus, & effectus, qui ex illa hoc modo cognita colliguntur perfectius cognoscantur. At cum Beati Deum clare intueantur, sicuti est, & ita essentia diuina eodem modo, & sub eadem prorsus ratione ipsis semper appareat; etiam si visio quam de Deo habent, intensior fiat: non poterunt plures effectus ex illa ab eis cognosci: nihil enim noui in ea ipsis apparere potest, quod antea lateret, vix ex dictis in prima disputatione liquet.

Deinde si ex maiori intensione visionis proveniret, ut perfectior effectus cognosceretur, fieret necessarium, ut alij effectus imperfectiores viderentur: nam si ea visio sufficit ad manifestandum perfectiorem, sufficit ad minus perfectum, quod si

Valquez in 1. part. Tomus I.

ad vnum sufficit, ad omnes etiam minus perfectos sufficit: non est enim maior ratio, quare per illam cognoscatur perfectior, & non cognoscatur minus perfectus: quod si de vno minus perfecto id verum est, de singulis etiam inductione eodem modo dicendum videtur. Hinc tamen sequeretur, omnes species rerum possibiles imperfectiores Angelis, aut hominibus, & infinita etiam indiuidua videri: nam cum omnes beati cognoscant in verbo species rerum, quæ factæ sunt, & supremam Angelorum, aut saltem humanam speciem; sequitur ab ipsis etiam in verbo cognosci omnes alias inferiores species, quæ possibiles sunt, quod si infinita est multitudo specierum infra naturam humanam, aut Angelicam, ut aliqui opinantur; sequitur iam à beato cognosci infinitam specierum multitudinem: aut si illæ infinitæ non sunt, ut infra disput. 106. ostendimus, saltem sequitur infinita indiuidua à Beatis videri, sub vnaquaque enim specie infinita indiuidua fieri possunt.

Imo vero etiam sequeretur, omnia secreta cordis humani, & futuras cogitationes à Beatis videri: hæc enim indiuidua accidentis multo minus perfecta sunt, quam substantiæ: aut saltem si Beati vident aliquas cordium cogitationes, ut orationes, quas ad ipsos fundimus, sequitur omnes etiam videre: quia non est maior ratio, quare ex vi visionis sine peculiari reuelatione vna potius videatur, quam alia.

At respondent aliqui, differentiam illam ut vna creatura potius, quam alia videatur, ex vi visionis essentiae Dei provenire; non ex intensione visionis, sed ex varietate gradus indiuidualis huius, & illius visionis. Verum tamen sicut dixi de lumine, sic etiam videtur de ipsa visione, hoc esse sine fundamento. Nam si gradus indiuiduus non faciat essentiam diuinam secundum se vnijs modis videri, sed solum differentia sit in intensione visionis, non potest ea esse causa cognoscendi varias creaturas. Porro differentiam solum esse in intensione patet, quoniam ipsa essentia diuina eodem modo apparet Beatis, tota videlicet sicuti est, nec diuersitas aliqua in ipsa apparere potest: ergo varietas solum potest esse in intensione circa idem.

Et certe si ex parte rei cognitæ diuina essentia tanquam primum obiectum; eodem modo videtur, eodem etiam modo erit causa, aut non erit, ut alia cognoscantur, ex eo quod ipsa videtur; idem enim in quantum idem, semper facit idem. Quod si propter peculiarem aliquem modum visionis, qui ad intensiorem non pertineret, hæc potius, quam illa species videretur, cum tamen diuina essentia in se eodem modo appareret; certe ipsa essentia diuina non posset esse ratio tanquam obiectum primum cognoscendi potius hanc naturam creatam, quam illam, quia eatenus est primum obiectum, & ratio cognoscendi, quatenus talis apparet; ergo si eadem semper apparet; aut non est ratio cognoscendi diuersa, sed illa aliunde cognoscuntur, aut est ratio cognoscendi omnia.

Hoc argumentum probat etiam contra eos, qui ponunt abique ratione relationem ex natura rei in Deo ad creaturas possibiles. Nam ille respectus semper eodem modo apparet videnti Deum, quod si verum esset (ut quidam asserunt)

Intensior visio non manifestat effectum perfectiorem.

30

Aliquorum placuit.

Refellitur.

Diuersitas indiuidualis visionis, vel luminis non manifestat diuersas creaturas in Deo.

31

Nequit in Deo esse respectus realis ad creaturas.

possa

Lumen glorie semper eiusdem speciei est.

Responsio quorundam.

Refellitur.

28. Aliorum effugium.

Præcluditur.

Sola intensior cognitio causæ non manifestat plures eius effectus.

29

posse essentiam Dei videri sub respectu ad creaturas in vniuersum, & deinde sub respectu ad creaturas singillatim; fatendum esset diuerso modo videri, & priori illo modo aliquid Dei latere, quod est absurdum. Nam dum videtur respectus distincte ad singula; aliquid in obiecto apparet, quod non apparebat quando videbatur respectus ad omnia in genere, & confuse, vt inductione in alijs obiectis videre licet. Ex quo etiam inferitur falsum esse id, quod aliqui dicunt, & nos supra memorauimus, nempe Beatis dari diuersa lumina, vt plures, aut pauciores intueantur in Deo creaturas, diuersa inquam lumina, non in intensione, sed in modo indiuiduo, quem vocare possumus extensionem: nulla enim diuersitas excogitari potest in lumine, nisi secundum intensiorem.

Nam habitus qui est principium cognitionis, non potest esse diuersus alio modo, quam secundum intensiorem: si semper est principium videndi in obiecto idem, secundum eandem rationem. Sic enim nulla alia potest esse in visione varietas, quam intensiorem: ac proinde neque in lumine, quod est principium illius, alia varietas, quam intensiorem esse poterit. Cum igitur quacunque visione clara Dei Deus appareat idem, & eodem modo ex parte sui, & ita in visione ipsius alia varietas esse nequeat, quam intensiorem, vt supra probatum est: efficitur vt in lumine, quod est principium illius, alia etiam varietas esse non possit, quam intensiorem.

Tertia aliorum responsio.

Refutatur.

Eiusdem speciei est lumen omnium Beatorum.

Secunda ratio.

S. Thomas.

33

Præterea alij hoc argumento oppressi respondent, in beatis dari lumina gloriæ diuersa secundum speciem, vt ita defendant visiones, quas de Deo habeat specie quoque differre, qua ratione difficile non erit, intelligere, vna visione plures, aut pauciores species rerum possibiles, aut futuras videri, quam alia. Hoc tamen commentitium est, nam cum lumen gloriæ virtute sua primarie Dei essentiam respiciat, ad quam videndam intellectum fecundat; & cum essentia Dei in se ipsa visa, sicuti est, eadem prorsus beatis omnibus appareat, nec possit varie ab ipsis videri; necesse est, vt lumen vnicum sit, hoc est vniuersum, & eiusdem naturæ specificæ in omni intellectu: alioquin opus esset asserere, ipsas visiones essentia diuinæ in beatis specie differre, quod est ridiculum, & absurdum.

Secunda ratio, Si indiuidua futura in verbo viderentur, quo plura aliquis videret, perfectius etiam essentiam diuinam intueretur: vt docere videtur S. Thomas 3. p. q. 1. o. 41. 2. ergo contingere posset, vt aliquis, qui æqualia merita haberet cum alio, magis esset beatus, quam ille. Quia interdum fit, sicut etiam auctores præcedentis sententiæ docent, vt vnus beatus æqualis meriti cum alio plura videat indiuidua, aut orationum, quæ ad ipsum fiunt, aut eorum, quæ ad statum ipsius quodammodo pertinent: vt fundatores religionum: quod si ita est, & omnia illa singularia in essentia diuinæ ex vi visionis illius videntur; sequitur, eos melius etiam ipsam essentiam diuinam intueri: ac proinde beatiores esse: cum tamen sint æqualis meriti: nam in visione Dei excogitari non potest alia diuersitas, quam intensiorem, & remissionis, ex qua necesse est, vt proueniat eis etiam differentia videndi hoc potius, quam illud, plura indiuidua, quam pauciora. Porro autem

aliam diuersitatem esse non posse, quam intensiorem, constat, quia ex parte Dei cum sit res simplicissima, id ipsum, quod vni apparet, ab alio etiam eodem modo videtur: alioqui in essentia Dei esset aliqua varietas ex natura rei, quod est absurdum; vt disp. 48. prædictum est. Quare non satis intelligo, qua ratione verum esse possit id, quod ait S. Thom. quest. 8. de veritate artic. 4. ad 12. nempe in Dei essentia quasdam creaturas esse magis manifestas, quam alias, quæ magis latent in illa. Respondent tamen aduersarij, compensari à Deo visionem illorum singularium, quæ videtur vnus, cognitione aliorum, quæ alteri communicatur. Vt ita sint pares in beatitudine, qui in merito fuerunt æquales. At hoc friuolum est: nam si videntur singularia ex vi luminis, & visionis essentia diuinæ secundum se, & hæc æqualiter à duobus videtur, necesse est eadem omnino singularia, quæ ab vno videntur, ex vi talis visionis ab altero quoque videri: idem enim quatenus idem semper facit idem: quare si fundator religionis visione, vt quatuor diuinæ essentia videt omnia singularia suæ religionis, & orationes, quæ ad ipsum fiunt, alius etiam qui in eodem gradu Deum videt eadem singularia videre debet, non alia: aut fatendum est id, quod contendimus, nempe hæc omnia non ex vi visionis essentia diuinæ, sed peculiari reuelatione à beatis videri. Denique sequitur, visionem, qua Christus videt Deum esse infinitam intensiorem. Si enim quo plura obiecta aliquis videt, perfectius intuetur Deum, videns infinita, infinitè etiam videbit Deum; si augmentum fieri debet in intensiorem visionis: alio namque modo fieri nequit, vt ost. n. est.

Tertia ratio contra eos, qui docent posse dari diuersa lumina gloriæ secundum speciem, non minus efficax est, nam qua ratione ex vi visionis diuinæ essentia, aliquæ videntur creaturæ, sequitur omnes videri posse, cum nulla videatur esse repugnancia, vt mox apparebit. Respondet S. Thom. art. 8. ad 3. maius quid esse videre essentiam, & ex vi illius videre omnia possibilia, quam solam essentiam intueri: ac proinde non sequitur, de facto omnia videri in essentia, si ipsa clare videtur. Hæc solutio licet adhibeatur à S. Thom. ne argumentum probet de facto omnes creaturas à beatis videri; ex eadem tamen potest responderi, ne probet etiam de potentia absoluta id fieri posse: nam si maius est videri essentiam, & in ea aliquas creaturas, quam ipsam nudam videre, vel cum paucioribus creaturis: efficitur, quo plures in ea videnda sunt, eo debere visionem esse maiorem, ac proinde etiam lumen gloriæ, quod est principium illius maius esse debere. Nam quousque veniamus ad cognitionem infinitarum creaturarum, visio ipsa & lumen in infinitum crescere debent: non potest visio aliqua, aut lumen gloriæ esse infinitum: ergo neque eius virtute in essentia diuinæ possunt infinita videri.

Cæterum, vt dixi, nihil ob stare videtur, quo minus dicamus infinitas creaturas cognosci posse, si ex vi visionis vna videatur. Primum nihil obstat videri omnes, quia sint infinitæ, vt falso putauit Richardus Scot. in 3. d. 14. q. 2. §. Contra istud: nam si nihil obest, quo minus essentia Dei, quæ infinita est secundum esse, cuius infinitas longe maior, & dignior est, quam multitudinis, clare videatur; nihil obesse poterit, quo minus infinita multi-

S. Thomas.

Aduersario, in responsio.

34
Constat.

Ratio facta confirmatur.

Tertia ratio ad rationem.

Responsio S. Thomæ.

35

Ex vi visionis illa De, videri possunt infinita creaturæ si patet vna.
Richardus Scotus.

Gregorius.

36

Si infinita
creatura vi-
deretur non
esset necessa-
rium lumen
infinitum.

Obiisio
tamen.

Soluiur.

37

multitudo rerum ab intellectu finito videri possit: verumque enim non propria virtute intellectus, sed virtute luminis superioris fieri debet. Quocirca Greg. in q. 4. prolog. ar. 2. in probatione 2. concl. statetur libenter, posse Deum, & omnes creaturas eadem notitia clare videri. Deinde id non repugnat, quia sit necessarium dari lumen infinitum secundum intentionem, ut ex argumento superius facto colligi videtur, primum, quia in sententia eorum, qui dicunt, dari lumina diuersa secundum speciem, facile dicere possemus, ad videndum diuinam essentiam, cum omnibus creaturis maius requiri lumen gloriæ, quam ad videndum solam essentiam, non tamen propterea requiri infinitum secundum intentionem, sed quoddam lumen peculiare specie diuersum à ceteris omnibus. Cum vero obijciatur hoc modo, ad videndum essentiam cum decem creaturis maius lumen requiritur, quam ad videndum cum duabus, & quo plures videri debent, maius lumen est necessarium: ergo ad videndum infinitas, infinitum requiritur; ita respondeo, argumentum probaret, si intra eandem speciem deberet fieri maius luminis incrementum, quo plures creaturæ essent cognoscendæ; si tamen datur lumen aliquod alterius speciei satis est, si ad illud prædicta enumeratione ascendamus: ut quo plures videntur, eo perfectius lumen requiratur, sed ut infinita videatur, aliud lumen omnino diuersum necessarium sit. Simile argumentum fieri solet hoc pacto, ad videndum perfectiorem aliquam naturam maior virtus requiritur ergo ad infinitam qualis est Deus requiritur infinitum: nullus tamen roboris est, quia satis est, si datur lumen aliud diuersæ speciei, quo essentiam Dei videre possimus: ideo dixi hanc rationem vim habere in opinione eorum, qui dicunt, dari posse diuersa lumina secundum speciem.

Ceterum etiam si dicamus, diuersa lumina non dari, sed vnicum solum esse secundum speciem; ex illa enumeratione tantum sequitur, dari infinitum lumen secundum intentionem, & infinitam visionem eodem modo: at hoc non tam aperte repugnare videtur, ut colligitur ex ijs, quæ diximus, disp. 6. c. 1. Adde, quod si ad videndum essentiam diuinam cum vna creatura requiritur certus gradus intentionis, & ad videndum plures requiritur intensius, & sic in infinitum; sequeretur, Christum habere lumen infinite intensum, quia videt infinita indiuidua futura, ut 3. p. q. 10. ar. 2. dicitur.

Quod si obijciant, hic sequi peculiare absurdum, nempe Deum à beatīs comprehendī, si datur lumen infinitum, dico alia via melius euitari hoc absurdum, quam si negemus posse dari infinitum lumen: nempe negando ex vi visionis Dei vllam creaturam videri: si enim hoc verum est, optime sequitur, Deum à beatīs comprehendī non posse, at negare infinitum lumen ea solum ratione, ne sequatur id, quod inde inferre contendimus, scilicet ne Deus comprehendī dicatur, est manifesta petitio principij: adducitur enim pro ratione, tanquam absurdum id, quod ex argumento inferre volumus.

Ad Greg.
testimonium
respondetur.

38

Hactenus disputatum est contra tertiam sententiam, ex qua solum supererat, ut responderemus testimonij Patrum. Ex illis tamen nunc ad Gregorium respondeo, ipsum non asserere, ex vi visionis creaturas in verbo videri, imo neque dicit aliquo modo cum ipso cognosci, sed solum as-

firmat à beatīs cognosci in beatitudine, non tantum propinquos, & alios in hac vita notos, sed etiam reliquos omnes bonos aliqui sibi antea ignotos: probat vero à maiori, quia si conceditur illis videre Deum, qui omnia nouit, à fortiori concedetur illis, reliquos etiam cognoscere: sed non ait, quia ipsos in scientia Dei intueantur, hoc enim impossibile esse iam satis monstratum est.

Ad Concil. Senonens. quod provinciale est, nec confirmatum respondeo, Patres ibi solum designare, sanctis in patria notas esse nostras orationes, ut ita tuto eos deprecari possumus; quod vero dicit, totum illud in Deo, tanquam in speculo illucescere, & apparere, non definit, sed probatione affert. Neque vero dicit in Deo videri ex vi visionis illius, sed tanquam in speculo; quod nos concedimus: quia instar speculi se habet, ut manifestet alia, id quod non ex vi visionis ipsius, sed reuelatione peculiari facit, propter quam speculum voluntarium dicitur à Theologis cap. sequenti allegandis: imo vero in speculo materiali non ideo dicuntur res apparere, aut videri, quia ipsum videatur (sed neque aliquid intra ipsum existens videri, iam demonstrauimus disp. 38. capit. 4.) quocirca etiam si ipsum speculum non appareret, si in eo refrangerentur species, res aliæ viderentur.

In hoc igitur comparat essentiam diuinam speculo, quod sicut speculum est causa cognoscendi res, quia ab ipso species earum per refractionem deriuantur, etiam si species ipsas non intueamur, ex eo quod speculum videatur; ita diuina essentia reuelans beatīs alia, facit ea videri, non quia ipsa videatur. De testimonij vero August. & Bernardi sequenti disp. dicemus. Hoc eodem modo intelligi potest id, quod docet August. lib. de triplici habitaculo in 9. to. c. 6. ubi ait in Deo veluti in speculo nos intueri alias res, & nosmetipsos: de Augustini tamen, & Patrum testimonij sequens disputatio instituenda est.

CAP. VI.

Nullam creaturam ex vi visionis Dei, sed peculiari reuelatione videri, verior sententia est.

EX confutatione prædictarum opinionum facile colligi potest verior sententia, quæ duo asserit: vnum est, nullam creaturam in Deo ex vi visionis ipsius videri: alterum est, peculiari reuelatione aliquas creaturas possibiles, aut futuras à Beatīs cognosci, non eadem visione simul cum diuina essentia, sed diuersa. Priorem partem sequitur Bona. in 3. d. 14. ar. 2. q. 1. in fine, Scotus q. 2. §. Sed si ista via, Gab. q. 1. a. 1. nota 3. Almat. q. 1. a. 1. Maior q. 3. & idem in 4. d. 49. q. 1. 6. Marf. in 3. q. 1. ar. 2. 2. p. art. satis post medium, Okum in 4. q. 1. 3. ar. 2. Petrus Alliacensis in 1. q. 12. in hanc sententiam referri potest ex Thomistis, Paludan. in 3. d. 49. q. 2. art. 2. ubi impugnat opinionem præcedentem, quam ipse secundo loco enumerat, & tandem asserit, ex vi visionis Dei non necessario videri creaturas. Quinimo ex doctrina S. Th. infra q. 57. ar. 5. efficaciter confirmatur, & in ijs locis allegatis c. 3. oppositam videatur docere, asserit enim mysteria fidei nostræ ab Angelis beatīs in verbo cognosci, secundum quod Deus voluerit reuelare, & eo plura quo superiores sunt, quia perspicacius vident essentiam Dei. Subdit

Y 4

vero

Ad Concil.
Senonens.

August.

Bonauent.
Gabri.
Scot.
Almat.
Maior.
40
Marf.
Okam.
Alliacens.
Paludan.

Fauet S.
Thom.

*Quomodo
cognoscatur
ab Angelo
mysterium
aliquid de-
nuo.*

vero horum mysteriorum, quādam hoc modo ab Angelo cognosci ab initio suar beatitudinis, quādam vero decursu temporis: ex quo etiam manifeste sequitur, ea non videri in verbo ex vi visionis ipsius, sed peculiari reuelatione: id quod prioribus verbis manifeste indicauit. Nam si ex vi visionis viderentur, & decursu temporis inciperent videri, necesse erat mutari visionem, & intensiorem effici. Nam qui fieri potest, ut una, & eadem visio immutata manens, ab initio non faciat aliquid videri, postea vero faciat? At visio Dei non intenditur nec mutatur: sequeretur enim, Angelos indies beatiores euadere, ergo nec illa mysteria ex vi visionis essentiae diuinæ à beatis videntur.

*41
Caietanus.*

Caiet. in eum articulum in explicanda mente S. Th. non parum laborat: ait igitur, bifariam aliqua in verbo videri, quādam ipsa visione, qua videtur Deus, quādam verò alia visione, & illuminatione peculiari: & hoc etiam posteriori modo dicuntur in verbo res videri (ut inquit ille) *causaliter*, quia verbum causa est illius reuelationis, quod inferius latius explicabitur: & certe non video, quo alio modo commode possit intelligi S. Thom. atque ex hac parte S. Doctor nostræ etiam fauet sententiae.

*Augustin.
Anselmus.
Caietanus.
Cuius cur di-
catur specu-
lum volun-
tarium.*

Hanc opinionem sic explicatam probant aliqui Doctores, qui eam sequuntur, ex *August. in epist. 112. & ex Anselmo in monologio*, qui docere videntur, Deum esse speculum voluntarium. Caiet. tamen respondet in ar. 8. ideo Deum appellari ab Augustino speculum voluntarium, non tantum quia cum vult videri, à nobis videtur, sed etiam quia ea mensura, quæ ei placet, videtur. Verum longe diuersa ratione Patres id docent: August. enim in epist. illa c. 4. ut ostenderet Deum esse inuisibilem oculis corporeis, dixit. *Respondeo inuisibilem esse naturam: videri autem cum vult, sicut vult: plurimis enim, visus est, non sicut est, sed quali specie illi placuit apparere: de qua similitudine rursus ait: Quam voluntas elegit, non natura formauit, hoc est, quam voluntarie assumpsit, nec naturalis illi erat. Loquitur autem de effigie corporali, in qua variè antiquis apparuit. Desumpsit autem vere ad verbum sententiam hanc ex *Ambr. in c. 1. Lucæ, cap. de Angeli apparitione: idem repetit August. c. 5. 7. & 10. eiusdem epist.**

*42
Augustin.*

Ambrósio.

Anselmus.

In Anselmo autem loco allegato eam sententiam inuenire non potui: in enarrationibus tamen super euangelia cap. 17. in Matth. in illa verba, *post dies sex pasche, ait Nubes & caligo in circuitu eius, quia latebat in quadam obscuritate incomprehensibilitatis sue, nec agnoscitur potest à creatura, nisi quantum vult reuelare. Vbi Anselmus non agit de clara Dei visione, in quo sensu optime etiam cum sententia, & expositione Caiet. conueniret, sed de cognitione etiam viæ, quam de Deo habere non possumus, nisi propter ipsæ gratia sua tribuere dignatur: ergo id quod attinet ad priorem partem huius sententiæ, satis meo iudicio confirmatum manet ex confutatione aliarum, præsertim illius, quam ca. 3. retulimus, & 4. atque 5. impugnauimus.*

CAPVT VII.

Creaturas in verbo diuersa cognitione, quam Deum ipsum videri.

43

Superest, ut pro confirmatione nostræ opinionis posteriorem partem illius explicemus, & confirmemus, quomodo scilicet creaturæ in ver-

bo dicantur videri, etiam si non eadem visione, sed alia diuersa cognoscantur: de ea vero re Doctores allegati superiori cap. non eodem modo loquuntur. *Bona. Marfil. & Scotus* solum dicunt, res creatas à beatis in verbo videri peculiari reuelatione, & voluntate, ut præcedenti cap. diximus: addunt etiam actu videri posse in verbo successiue, simul tamen habitu videri: hoc est, ut dicunt *Bona. & Marfil.* esse unum habitum, quo res videri, & legi possunt in verbo: quis tamen sit iste habitus, non explicant. Scotus eodem modo loquitur, sed hunc habitum, quo beati vident, & legere possunt omnes creaturas in verbo, dicit esse ipsam visionem diuinæ essentiae, non quia ex vi illius sequatur aliarum rerum cognitio, sed alia ratione, quam non explicat.

*Bona. Marfil.
Scotus.
Prior opinio.*

Quod si auctores prædicti intelligant, creaturas cum verbo, & in ipso eadem visione videri, nihilominus posse successiue, modo unum, modo aliam cognosci: eorum sententia mihi non probatur, ut enim optime *Petrus Alliacensis* in 1. q. 12. *litera X. O Kam. Gab. Almainus, & Maior* locis citatis docent, fieri nequit, ut eadem visione omnino immutata, nunc incipiat aliquid videri, quod antea non cognoscebatur: ergo visione Dei non potest aliud præter Deum successiue videri, nisi ipsa varietur: dici autem non potest absque maximo fundamento, sic facile mutari in beatis visionem, quam de Deo habent: ergo non est, cur dicamus, eadem cognitione Deum & creaturas ita videri, ut creaturæ successiue etiam videantur.

*Refutatur.
Aliacensis.
O Kam.
Gab.
Almainus.
Maior.
44
Nihil appa-
rere potest
deus immu-
tata visione.*

Qui ergo docere vellent, eadem numero visione essentiam diuinam, atque creaturas cognosci: non ex eo quod essentia Dei videatur, sed quia Deus peculiari reuelatione creaturas manifestare voluit, ut docuit *Gab. in Canonem lect. 31. lit. E.* ita id asserere debent, ut nullam in ipsa variationem, & successionem concedant, sed omnia, quæ Beati in verbo dicuntur cognoscere, siue possibilia, siue futura, simul ab initio videant.

Ego vero probabiliorē existimo sententiam *Gab. Alliacensis, O Kam, Almaini, & Maioris* locis initio citatis: videlicet quamlibet creaturam à Beatis cognosci, alia visione distincta ab ea, qua vident Deum, non quod repugnet, simul eadem visione Deum, & creaturam cognosci, probabiliter enim id defendi posset, sicut una specie ab Angelo multa, & varia cognoscuntur: sed quia cum facilius sit, diuersas cognitiones Deo, & creaturis assignare, & cum hoc optime saluare modum communem loquendi, quo res in Deo, aut in verbo Dei videri dicuntur, non est, cur in angustias vnius cognitionis Deum, & creaturas conijciamus, ut dicamus, eadem cognitione videri.

*Posterior sen-
tentia verior,
Suadet
Primo.*

Tum etiam hac via facile possumus defendere, quod paulo ante ex S. Th. referebamus, scilicet multa mysteria, & alias res creatas beatis indies reuelari, quæ tamen dicuntur in verbo videri: sic enim nullum sequeretur absurdum. Ad hæc difficile est ad explicandum, si cognitio illa vnica est Dei, & creaturarum, quodnam habeat principium, quatenus ad creaturas terminatur: nam à lumine gloriæ provenire non potest: nisi dicamus ex vi visionis essentiae diuinæ eas videri, aut nisi diuersa lumina secundum speciem constituamus, ad videndum Deum, cum his creaturis, & cum illis: nam idem lumen intra eandem speciem, etiam si differat penes magis & minus intensum, non potest, ad

*45
Eodem lu-
mine non
possunt videri
Deus &
diuersa
creatura
ratione.*

testi, ad cognoscendum varias creaturas secundum speciem & multo minus ad cognoscendum Deum, & creaturas simul mouere; quare multo probabilius est, asserere, diuersa cognitione Deum, atque creaturas videri.

Sed quia ratione beatus dicatur, has res creatas in verbo videre, si neque ex eo, quod videt verbum, neque eadem cum ipso visione cognoscatur, oportet explicare. Doctores proxime citati dicunt, nihil aliud esse aliquid in verbo videri, quam Deum efficere cognitionem illarum rerum in intellectu videntem ipsum, quem modum loquendi concedit etiam *Caiet. infra q. 57. ar. 5.* citato, ut scilicet in verbo res videri dicantur, quod ipso reuelante, & tanquam causa cognitionis videantur non solum quia tanquam obiectum cognitum, sit causa cognitionis earum.

In verbo videtur creatura, quae Deo reuelante non cognoscitur etiam a videntibus.

Nos autem in eum tantum sensum dicimus, res creatas in verbo a beatis videri, quod peculiaris reuelationis, & cognitionis earum Deus ipse sit causa efficiens, non ut obiectum prius cognitum. Porro Deum esse causam huius peculiaris reuelationis in intellectu videntem ipsum Deum, ut praedicti Doctores dicebant, parum refert ad hoc, ut res illae in verbo Dei dicantur videri. Quocirca non solum beati, sed viatores etiam vere dicuntur aliqua in verbo Dei, aut in Deo, vel etiam in eius praesentia videre, quia praesentia Dei reuelante cognoscunt. Dicuntur autem potius in verbo, quam in Spiritu sancto, aut Patre videre, ut initio disputationis notauimus, quia cum verbum procedat per intellectum, opera reuelationis ipsi appropriantur, sicut opera gratiae Spiritui sancto.

Auctoritate firmatur. S. Thom.

Porro autem recte dici viatores etiam aliqua in verbo Dei videre, in primis asserit *S. Thom. infra q. 62. ar. 1. ad 3.* ubi docet, Angelum duplici cognitione res creatas in verbo intueri; primum cognitione, quam habet de Deo per suam naturam, tanquam per eius similitudinem, quam etiam habuit in via, & hanc dicit imperfectam, deinde per claram visionem essentiae diuinæ; & hanc inquit, esse perfectam: ubi plane non de verbo Dei, quod voce fit, sed de secunda persona Trinitatis loquitur.

S. Thom. Fauet etiam *S. Tho. infra q. 57. ar. 5.* qui asserit, mysteria ab Angelis in verbo cognosci successu temporis, quando fiunt: id quod verum esse non potest, si visionem in verbo eam appelleret, quia ipsum etiam verbum videtur.

Caietanus. Quare *Caiet. ibidem 2.2. q. 83. ar. 4. circa solutionem 2.* docet, non tantum dici ea, quae eadem visione cum verbo videntur, in verbo videri, sed ea etiam, quae peculiari reuelatione a verbo facta cognoscuntur.

Bernardus. Nos igitur hunc tantum posteriorem modum sequentes, & priorem negantes, non improprie dicimus aliqua creatura in verbo videri. Hae etiam phrasim puto *Bern. locutum serm. 17. in Cant.* cum de Lucifero ait: Potuit autem contingere (si tamen incredibile non putetur) plenum sapientiae, & perfectum decore homines praescire potuisse futuros etiam & profecturos in parem gloriam, sed si praesciuit, in Dei verbo, absque dubio vidit: & tamen Bernardo satis perspicuum erat, Luciferum nondum Deum clare vidisse. Respondent aliqui Bernardum non de verbo Dei substantiali, sed de externo locutum: quia ratione in Scriptura dicitur, factum esse verbum ad hunc, vel illum Prophetam. Sed hoc effugium excogitatum videtur, nam vix reperies eam phrasim de verbo

Bernardus.

Correspondentia.

externo, nec in Patribus, nec in Scriptura: contra vero de verbo ipso substantiali Dei inuenies in Augustino, quare non dubito Bernardum phrasim Augustini, cuius etiam doctrinam optime nouerat, vsum fuisse; sicut etiam lib. 10. ad Eugenium doctrinam Augustini securum, & in eundem sensum fuisse locutum, sequenti disputatione patebit.

Accedit quod Glossa ordinaria illud *Isai. 38. Dispone domus tua*, docet Prophetas legere in libro praesentiae Dei ea, quae praedicunt. Quod explicans *S. Tho. 2.2. q. 173. ar. 1.* inquit ideo Prophetas legere dicuntur in praesentia Dei, quia ex illa ipsis futura reuelantur: ergo eadem ratione dicuntur beati, & viatores in verbo Dei ea legere, aut cognoscere, quae ipsis reuelantur. Atque in hunc modum intelligerem Bonau. & Scotum, qui docet beatos in verbo, quod clare intuentur, legere futura, & creata, prout verbum ipsum voluerit eis manifestare. Hunc vero modum loquendi sumplerunt ex *Aug. lib. 1. confess. c. 15.* qui de beatis ait: Qui non opus habent suspicere firmamentum hoc, & legendo cognoscere verbum tuum. Vident enim faciem tuam semper, & ibi legunt sine syllabis temporum, quid velis aeterna voluntas tua legunt, eligunt, & diligunt semper legunt, & nunquam praeit, quod legunt. Eligendo enim, & diligendo legunt ipsam incommutabilitatem consilij tui.

Cum vero dicit *Aug.* librum beatorum non esse firmamentum hoc, celum videlicet stellis ornatum, quod etiam annunciat laudem Dei, & in quo tanquam in libro, Deus ipse legi, & cognosci potest, sed ipsummet Dei verbum clare vsum; non putat in ipso ex vi visionis Beatis manifestari voluntatem eius: sed in eo clare legere, quia ipsum suum consilium eis manifestat: dicuntur autem electione, & dilectione legere, quia cum diligant, & amici Dei sint, tanquam amici ea reuelat, non quia ipsa dilectione formaliter legant, quia legere non contingit, nisi intellectu. Praeterea, quod ait Augustinus, sine syllabis temporum legere Beatos voluntatem Dei, non dicit, quia non fiant nouae reuelationes Beatis, id enim etiam *S. Tho.* docuit, ut paulo ante vidimus; sed quia ipsum in se clare intuentur, & ab eo qui aeternus est, & cuius voluntas mutari nequit, consilium voluntatis eius proxime cognoscunt non per celum, vel alias creaturas, quae tempore transeunt. Eodem quoque modo accipiendum est, id quod idem Augustinus lib. 9. de *Ciuitate Dei*, cap. 22. docet, assignans differentiam inter Beatos Angelos, & demones: quod illi futura cognoscant in aeternis, & incommutabilibus Dei legibus: demones autem temporalibus temporalia, & mutabilibus mutabilia intelligant.

His Augustini testimonijs, & doctrinae superiori, consonat illud *Isidorus lib. 1. sentent. seu de summo bono c. 12. sententia 7.* Angeli in verbo Dei cognoscunt omnia, antequam in re fiant, & quae apud homines adhuc futura sunt, Angeli iam reuelante Deo noverunt. Vbi Isidorus pro eodem accipit in verbo videri ab Angelis futura, antequam in re fiant, & ipso reuelante ea cognoscere. Cetera vero *Aug.* testimonia, quae videntur probare, ex vi visionis creaturas in verbo videri, quae cap. 3. pro opposita sententia allegata sunt, sequenti disp. ut iam promissimus, examinabimus: ibique, quid senserint Gregor. & Ambros. & Patres Concilij Senonen. ibidem citati, dicemus.

CAPVT

Quamquam species rerum Beati in verbo cognoscant.

Difficilius multo est in eorum opinione, qui docent creaturas aliquas ex vi visionis à Beatis in verbo videri, discernere, quamnam aut possibilia, aut futura in ipso videantur, quam in nostra sententia, quæ affirmat, nihil ex vi visionis, sed aliqua peculiari revelatione cognosci. Referemus tamen prius, quæ alij docent, & subinde, quid nostris principiis conuenienter dicendum sit, breuiter exponemus. Ex paucis vero, qui de hac re differunt, S. Thom. in art. 8. ad 4. & in eum locum recentiores Thomistæ, & 3. contra gent. cap. 59. ac Ferrar. ibidem, Scotus, in 4. d. 49. q. 3. art. 3. concla. 6. affirmant, omnes species rerum à quocunque Beato videri, non autem indiuidua.

Opinio S. Thomæ & aliorum. Ferrar. Scotus.

Probant S. Thom. & alij, quoniam illud explet desiderium naturale sciendi, quod ad perfectionem illius pertinet, sed ad hanc pertinet cognoscere omnes species rerum, non indiuidua; ergo illarum scientia explebit naturale desiderium sciendi: cumque hominis desiderium in beatitudine saturari debeat, efficitur, ut scientia specierum, non indiuiduorum ei communicetur. Ex hac vero ratione colligit Scotus S. Thomam solum locutum de speciebus naturalibus, quia ad cognoscendas species supernaturales, naturale desiderium esse nequit.

Imitatur il- lum Scotus.

Refertur.

Ego vero primo censeo, absque ratione mentem S. Tho. ad species solum naturales restringi: neque enim eius ratio, id aliquomodo indicat. Nam ex eo quod dicit, naturale desiderium sciendi, seu appetitum in beatitudine explendum esse, non sequitur, loqui de speciebus solum rerum naturalium: quoniam ex sententia ipsius, non solum naturale desiderium est sciendi, quæ naturalia sunt; sed etiam videri Deum, quod supernaturale est, sic plane docet à 1. huius quæst. ut ibid. notauimus, & fusius dicemus 1. 2. q. 5. art. ult.

52

Secundo non video, quæ ratione probetur, de facto à quocunque Beato videri species, non autem indiuidua: tum, quia si naturale desiderium sciendi omnino debet expleri, non solum scientia specierum, sed indiuiduorum etiam communicari debet: omnia enim hæc naturaliter desideramus cognoscere, si naturale desiderium accipiatur, sicut accipit S. Tho. & nos explicauimus supra art. 1. huius quæst. deberent etiam cognosci omnes species possibiles, quod tamen non ita affirmari potest.

Beati non vident omnes species rerum possibiles neque omnes futuras.

Tertio nullus ex citatis Doctoribus asserit, omnes species rerum possibilem à beatis videri, nec facile id affirmari debet, tum quia nulla est firma ratio, quæ id suadeat: tum etiam in opinione eorum, qui dicunt, ad intuendam essentiam diuinam cum rebus creatis maius lumen requiri, quam ad eam solum videndam, & quo plures fuerint creaturæ, cum quibus videtur, maius lumen esse necessarium: sequitur, si cognoscerentur in verbo ex vi visionis illius infinite species, infinitum quoque tamen de facto dari. Ad hæc, cum beatus cognoscat res, sicut sunt, proprio conceptu, nec absque hat vniuersale à singularibus, ut dicemus disp. 118. non debemus dicere species tantum in vniuersum ab ipsis cognosci, non indiuidua.

53

Denique de futuris speciebus non video, cur

debeamus negare, eas omnes à Beatis videri: & de his intelligerem ego Doctores citatos, tamen si nulla sit efficax ratio, aut auctoritas præter Doctorum Scholasticorum, quæ ad id allerendum cogat. Quod enim adducebatur de naturali desiderio, nimium probat, ut paulo ante dicebamus, & statutus beatitudinis sola Dei visione ita sufficiens est, & explet appetitum, ut nullam desiderij anxietudinem sciendi, alia præter Deum relinquat: cetera enim, præter ipsum, Beati, qui eius essentiam intuentur, pro nihilo reputant. Cum vero dicimus, omnes species futuras à Beatis de facto videri, intelligimus in aliquo indiuiduo, & naturalis tantum, non omnes supernaturales; nec omnes cogitationes cordium, sed eas, quas viatores ad ipsos dirigunt Beatos. Hæc tamen omnia, quæ diximus, intelligenda sunt iuxta doctrinam à nobis superius cap. 7. traditam, nempe has species, aut indiuidua ita à Beatis in verbo cognosci, ut neque ex vi visionis, neque eadem cum ipso, sed peculiari revelatione cognoscantur.

54

Quæ futura Beati in verbo videant.

Vltimo loco de futuris singularibus pauca dicemus, de quibus etiam varie Doctores Scholastici loquuntur. In primis Doctor Angelicus 2. 2. q. 10. art. 2. docet Beatum in verbo videre omnia à seculum singularia, quæ pertinent ad ipsum, ut orationes, quæ sunt, & quæ pertinent ad statum congregationis alicuius, cuius ipse fuit caput. Consentient Caietan. 2. 2. q. 83. art. 4. circa solutionem 2. Scotus in 4. d. 49. q. 3. art. 3. concla. 10. & alij Thomistæ nostri temporis. Addit Scotus hæc omnia à Beato simul in verbo cognosci ab initio suæ beatitudinis: alij vero de orationibus dicunt, non videri ab initio; sed successu temporis cognosci: alia vero singularia, quæ accidunt, & ad statum Beati pertinere videntur, ut ea, quæ in alicuius religione eueniunt, cuius ipse fundator est, ab initio in verbo videri.

Caietan. Scotus.

Denique Caietan. loco allegato asserit, ea singularia dumtaxat, quæ tunc sunt, quando aliquis incipit esse beatus, & pertinent ad statum illum, ab initio suæ beatitudinis simul in verbo videri ex vi visionis illius: cetera vero, quæ postea accidunt, ab initio non cognosci: sed eo tempore, quo eueniant: nihilominus, ut inquit Caietan., ea dicuntur in verbo videri causaliter, hoc est, quia verbum peculiari revelatione ipsis facta est causa, ut ea cognoscant: cui consonat doctrina eiusdem 1. p. q. 57. art. 5. quam 7. cap. retulimus. Quocirca perperam aliqui recentiores Caietanum impugnant. Primum, quod videatur variationem aliquam in visione Dei constituisse, cum ait successiue à Beatis aliqua futura in verbo videri. Nam hi non attendunt Caietanum nunquam dixisse, eadem cum verbo visione videri, sed diuersa. Deinde frivola quadam ratione arguunt: quia si Beati successiue viderent futura, Christus similiter videret, quod est absurdum. Est autem ratio hæc parui momenti: nam licet de alijs Beatis sic sentiat Caietan., tamen necesse non est idem de Christo asserere.

Quæ futura, quomodo, & quando in verbo videntur à Beatis ad ipsos

Nos vero principiis nostræ sententiæ semper innixi, asserimus, in vniuersum omnia futura, quæ Beati cognoscunt, qualia sunt, quæ ad statum ipsorum quodammodo pertinent, & orationes, quæ ad ipsos

ad ipsos sunt, alia distincta cognitione, quam verbum videri: ac proinde necessarium non esse, ab initio omnia simul ab eo cognosci. Quod si eadem visione cum verbo viderentur, non possent decoru temporis cognosci, nisi mutatio aliqua in ipsa visione fieret, vt cap. 7. probatum est. Imo, vt ibidem diximus, accidere posset, vt qui plura merita haberet, aliquando minus Deum videret si pauciora singularia sint, quæ ad statum illius pertinent, vt in Anachoreta aliquo contingere posset. Nam ad videndum plura indiuidua ex vi visionis Dei oporteret ipsam visionem perfectiorem esse: nam si eiusdem perfectionis esset, non posset in diuersis esse causa cognoscendi diuersa: hoc autem etiam sequitur contra Caiet. qui dicit, quæ initio beatitudinis præsentia sunt, in verbo ex vi visionis illius à Beato cognosci: quæ vero sunt futura, peculiari aliqua reuelatione successu temporis videri. Fieri enim potest, vt ad statum alicuius, qui pauciora merita habet, plura indiuidua pertineant tunc, quando incipit esse beatus: ergo tunc plura videbit ex vi visionis, quæ verbum videt, ac proinde ipsum verbum perfectius intuebitur.

Respondent aliqui Thomistæ non esse necessarium, quo plura in verbo videntur, eo perfectius verbum videri, nisi illa, quæ videntur, si eie differant: quia cognitio singularium ad perfectionem intellectus non pertinet: & de illis tantum existimant dixisse S. Thom. 3. par. quæst. 1. c. artic. 2. quo plura cognoscuntur in verbo, eo etiam verbum ipsum perfectius videri. Hoc tamen ridiculum est. Primum, quoniam S. Doctor in eo art. non solum de speciebus, sed etiam de indiuiduis futuris cogitationibus, & orationibus, pertinentibus ad statum Beati loquebatur: & dixit, eo plura à Beato videri, quo perfectius verbum videt: proculdubio de ijs intelligens, quæ in exemplum adduxit. Tum etiam, quia ad naturale desiderium, & perfectionem intellectus pertinet, non solum cognoscere species, sed etiam indiuidua, vt cap. 7. probatum est. Ad hæc, si indiuidua in verbo eadem visione, & ex vi illius videntur: necesse est, quo plura cognoscuntur verbum ipsum perfectius videri. Nam si in duobus æque perfecta est visio, non potest esse in vno causa videndi plura, aut diuersa, quam alius cognoscit. Vt igitur hæc omnia incommoda fugiamus, multo melius est asserere nihil, nec futurum, nec possibile in verbo videri ex vi visionis illius, vt Thomistæ contendunt, sed alia visione, & reuelatione peculiari cognosci.

Cæterum obijciunt aliqui, nisi Beatus à principio suæ beatitudinis, & simul omnia cognosceret, deberemus nos à Deo petere, vt nostras orationes Beatis reuelaret: id autem non consequitur Ecclesia: signum igitur est Ecclesiam sibi habere persuasum, hæc omnia ab initio beatitudinis à Beatis videri. Respondeo, ideo Ecclesiam non postulare à Deo, quia iam certo sibi persuadet, hæc omnia nota esse Beatis hac, aut illa certissima via: nec id villo modo ex nostris orationibus pendere: quocirca non est necesse dicere, hæc omnia nota esse Beatis ab initio beatitudinis.

Porro autem hæc omnia videri à Beatis, præter citatos Scholasticos docet Augustin. libr. de cura pro mortuis agenda, cap. 15. & Hieron. lib. contra Vigilantium, Gregor. lib. 12. Moral. cap. 12. in illud Job cap. 12. Roborasti eum paululum. Variant tamen in modo: Augustinum enim indicare videtur, vt ex relatione Angelo-

rum Beatorum animæ illa cognoscant. Hieron. vero, eo quod ipsæ animæ mira quadam celeritate naturæ præsto sint vbique: sed cum præsentia secundum locum parum faciat ad cognitionem spirituales, quæ non fit per sensus: frustra hanc causam assignat. Gregorius non definit modum, quo ea cognoscantur. Denique Scholastici etiam, vt retulimus, variant: ex quibus omnibus illum modum peculiarem elegimus, quem paulò ante diximus.

DISPUTATIO II.

Quid Augustinus, & Bernardus sentiant de cognitione creaturarum in verbo.

Scholasticorum varia opiniones de mente Augustini interpretanda, cap. 1.

Vera sententia Augustini interpretatio, cap. 2.

Posterior pars predictæ sententiæ prolatur, cap. 3.

Oppositiones contra posteriorem partem, cap. 4.

CAPUT I.

Scholasticorum varia opiniones de mente Augustini interpretanda.

Occasione eius diuisionis, quam sepius repetit Augustinus in suis libris, cognitionis videlicet matutinæ, & vespertinæ, quibus docet Angelos præditos fuisse, introductus fuit inter Scholasticos hic modus loquendi, quo communiter asserimus, creaturas in Deo, aut in verbo à Beatis cognosci. Verum neque eodem modo omnes docent creaturas in verbo videri, vt superiori disp. vidimus, neque mentem Augustini in eundem sensum interpretantur: quomodo autem Scholastici sentiant, creaturas à Beatis in verbo videri, iam satis à nobis dictum est: reliquum est, vt de modo, quo ipsi Augustinum interpretantur, aliquid in hac disp. dicamus: ex quo etiam colligere poterimus, Augustini, & Bernardi sententiam opinionem nostram, quam præcedenti disp. exposuimus, nullo modo aduersari. In hoc igitur capite varios modos interpretandi August. enumerabimus: in sequentibus vero germanam eius interpretationem ex verbis ipsius deducemus.

Primus igitur modus distinguendi in Augustino has duas cognitiones fit Alberti 2. par. Summa duo exponens tract. 4. q. 14. memb. 3. artic. 2. p. 2. in corpore, & in quæst. incidenti, Aegidij in 2. d. 13. q. 1. artic. 3. dub. 3. qui dicunt, cognitionem matutinam non esse ipsam claram Dei visionem, sed naturalem cognitionem de Deo, qua Angeli, & homines ipsum cognoscunt, vt omnium rerum auctorem, & principium. Addunt deinde sumpta metaphora diei duas alias cognitiones, vespertinam scilicet, quæ cognoscuntur creaturæ, & meridianam, quam supernaturalem vocant: nec satis explicant, an hæc ut visio essentie diuinæ, vel etiam creaturarum. Verum si de explicanda mente Augustini solum agamus, hæc sententia nullum in ipso fundamentum habere potest. Capite enim sequenti ostendemus, matutinam in Augustino esse claram Dei visionem, non naturalem notitiam, quam de ipso, vt est rerum omnium auctor, habere possumus. Neque in Augustino meridianam cognitionem à matutina, & vespertina oportet distinguere.

Secundus